DEMETRII PHALEREI DE EPISTOLIS DOCTRINA.

ITEM

RHETORICAE, DIALECTICAE'QVE SVMMA IOAN. SAMBVCI. P.



ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXVII.

3

I. SAMBVCVS CO-LIMANNO EGERER IVNIORI S. D.

POST *hypotyposin comparatam, vult Demetrius περὶ ἰσχνότητος epistola sit dialogis comptior, non pugnax argumentis, iuncta partibus & membris, morata, conuenienter longa, structura non exquisita, prouerbijs acuta, non crebra tamen sententijs, plana & venusta. has tu leges quorundam magnis de hac re libris praeferes, iámque stilo nobis declarabis, háncque conuersionis opellam tibi accommodatam vnà cum adumbratione Rhetoricae, & Dialecticae obiter scripta boni consules, tuóque exemplo Sebastianum fratrem quotidie vt accendas hortor. Vale idib. Februar.* M. D. LXVII. *Viennae.*

PHALEREVS.

QVONIAM *epistolae quoq; humili, ac quotidiano dicendi genere contexuntur, de illis quiddam adijciemus. Artemidorus qui Aristotelis epistolas restituit, eas & dialogos, quòd illae velut altera pars horum sit, eodem scribi modo debere censuit. Qui quidem innuit quod res est, verùm non satis explicat, siquidem epistolam non nihil cultiorem sermo-*

nibus esse conuenit: quando colloquia subitò, & ex improuiso habeantur: Epistola verò scriptionis mora cogitationem recipiat, mutuóque inter amicos pignore commeet.

QVIS igitur, exemplo Aristotelis, vbi ad Antipatrum de sene quodam eiecto, ac profugo scribit, cum amico ita ratiocinetur? Quod si hic omnino vt nunquam reuertatur, solum vertit, prorsúsque euanuit, quis condicionem libẽter mortuis inuideat? Qui hoc pacto disserit, non narrat, sed docere videtur.

SED nec dissolutè incisis quoquo modo, contentiórque earum fuerit confectio, quòd obscuritatem pariat: nam qui aliorum mores imitatur, causam in foro potius, quàm familiariter agere videtur; vt in Euthydemo istud Platonis: Quis erat Socrates, quem in Lycæo heri alloquebare, tanta circumfusa corona? & paululum progressus repetit: Sed hospitẽ longinquum reor quicum disserebas, sed quis nam erat? Huiusmodi omnem orationem aliorum imitatricem fabulam ego, mimósque Ethologos, haud epistolam fatebor.

PRAECIPVA verò Epistolæ commendatio est significationem vt morum non secus, ac dialogi habeat, index enim est animi. Itaque licet omnibus in locis bonos vt nos testemur scriptio requirat, imprimis tamen literarum id occasione declarari velim.

IAM vt Elocutio pressa, attenuatáque est, ita longitudo moderanda. si enim sint prolixiores, & oratione quoq; vt sit, assurgant: naturam ipsarum reliqueris, atqueoperosam, quibus τὸ χαίρειν additur, præfationem institueris. Quo in vitio multa sunt Platonis, atque Thucydidis quædam.

NEC verò adeò fuerit curiosa, inque orbem acta compositio:

sitio: nam si illum comprehensionibus, ut in foro solet Orator, ad victoriam aptes, non præter modò decorum, sed verò quoque ab amicitiæ legibus erit alienum: quare veteri prouerbio hac in re seruiemus, ficum ut ficum dicamus, propriísque vtamur.

CETERVM *vt oratio propria est, ita res quædam, & sententiæ epistolarum separatæ, huicque scripturæ sunt perpetuæ: ea re ab Aristotele factum artificiosè, ac laudabiliter, qui res grauiores epistolis perscribere noluerit, quòd harũ normam, & rationem illas excedere intellexerit. Etenim si de captionibus, & quibus negotium sophistæ præbent, aut de naturæ obscuritate per epistolam agas: non eam hoc nomine vocarim: officij quippe index, atque amoris plena, breuis, déq; rebus non magnis, planáque eius esse debet expositio.*

ORNAMENTVM, *igitur, decúsque literarum esse aio, si amicitiam, beneuolentiámque præferant, prouerbijs sint respersæ: quibus prouerbijs quandò comiter omnes vtuntur, hac in parte acumen, & prudentia scribendo extet non vulgaris necesse est: nec frequentatæ sentẽtijs admodum sint, vel ad persuadendum comparatæ: quod suspectæ huiusmodi fiant, & ad decipiendum quæsitæ. Aristoteles tamen vel in hoc genere scribẽdi interdum probationibus vtitur opportunis, temporéque iniectis: vt cum studia, beneficiáque in potentes, ac inferiores. Resp. Paria esse debere ostendit, ait auctores vtriusque, ac præsides esse deos, eóq; significari par apud vtrasque præmium per Deas beneficas, & gratas constitutum. Verùm quod philosophus hic declarat, cum eo, Cuius id fit ergò, epistolæ congruit.*

ET *quoniam non parum sæpè ad liberas ciuitates, atq;*

etiam reges scribimus, si tum eas longiores exaremus, atque ex illa tenuitate ne humi repant, velut excitemus, non improbabo. Ratio enim ad quos mittuntur quoque ducenda est: Sed cauendum, ne in volumen abeant, quod Aristoteli ad Alexandrum, & Platoni ad propinquos Dionis scribendo usu venit.

PRAECIPVE *tamen, vniuerséque danda opera, vt forma venusta, lepore grata illam dictionis exilitatem aptè cōtemperet, atque compenset, ac de charactere Epistolarum, adeóque subtili forma dicendi hactenus.*

FINIS.

RHETORICÆ, DIALECTICÆ'QVE SVMMA IOAN. SAMBVCI.

295

Quid est Rhetorica?

ARs, cuius ductu, & pręceptionibus orationem pro circumstantiarum, rerumq; conditione meliorem efficimus, ac vulgi cõsuetudine ad persuadendum spectabiliorem. Artem esse, cuius ingenita sint nobis principia, vsus, necessitas, amorque similitudinis contestatur. Ac etsi non semper ob iudicum existimationem, quod ipsa velit, obtineat: nec certę materiæ seruitute ea definiatur: scopum tamen, vt Dialectica differendo, ita persuadendo ipsa eundem habet non sine maximarum cognitione rerum propositũ: vt qui bene, apteque dicere norit, eũ non alienum à sapientia vnquam, & peritia iudicãdi putarim, & quanta est in Orationibus Ciceronis philosophia?

Quis Finis?

VT in hominibus, rerumq; vsu, secundũ Varronem duo sunt fines, vtilitas, & pulchritudo, in qua inest gratia, & venustas: ita Oratoribus nõ solùm iudicum arbitrium, ac victoria, dum quid vel

exaggerant, vel extenuant, sed veritatis, artificijq; obuersatur voluptas. Cum enim varietate, ac elegãtia quid ob oculos ponimus, prẹsensq; cõstituimus, rei qualitate, vt fidem mereamur, auditorum etiam commouemus animos.

Quomodo id consequimur?

APTITVDINE, seu vi causæ cognita, & propria oratione, hoc est, si rebus, earumq; comitibus, vel personis, vel factorum attenderimus naturæ, verbisq; enunciauerimus congruis, & ad audiendum, efficiendamq; fidem gratis. Etsi enim hæc facultas non tam fortibus, quàm disputatio conclusionibus vtatur: fraudulenter tamen, & Syrenum modo neminem delinit, minus in errorem inducit; Sed cum veritate suauitatem quandam, benemerendique studium insinuat.

Circa quid præcipuè versatur?

NVLLA quidẽ res est, de qua non secus Orator, quàm alij verba facere possit: quòd copia vocum, rerumq; grauissimarum scientia instructus esse debeat. Veruntamen qui a dubijs persuadere, incertos solet docere: ideo in foro, & concionibus præsertim eius opus exercetur. Ac vt sunt personẹ, res vel facinora, tractandi triaque sunt sententiarum, temporumq; genera, ita auditorũ eadem obseruata est varietas. Nam sunt quibus æternam tribuendo laudem, vel vitium, cognitioni tantum satisfa-

tisfacimus, alijs deliberationem, iudiciumq; consi lij non suauitate concocta, sed solida quoq; offerimus, vt fidem controuersis accusando, vel excusando impetremus, dicendo contendimus austerius, motibusq; operam damus. Hinc tria illa causarum, siue Oratorũ, siue rhetorices, negociorumque genera manarunt.

Quæ inter se horum affinitas?

Cum laudamus, facilè quid fugiendum sit intelligitur, siue res, personæ, siue facta sint: quæ singula sibi ipsa è sua condicione, atque circumstantibus, tanquam vmbris, ad dicendum loca suppeditant. Iã quod in vitio ponimus quis idem suadere, inq; cõnsultationẽ adducere vereatur? qui quod in alijs probat, qualẽ ipsum esse debere oporteat, cur non videat? nec ex deliberandi præceptionibus aliquid commendare, vel reprehendere fuerit diffi cile futuri temporis: nam eligibile nihil est quod præterijt. Tertium est genus iudicij, dicologicum præteritorum, cognitores, & quæsitores, forumq; exposcens, litesq; disceptans: cuius potissimum ergò artem hanc excultam, iudicijsq;, & opinione vult elatam Aristoteles, dum κρίσει totam eam determinat.

Quid à Grammatica & Dialectica differt?

Quod puer imbecillis à iuuene, senex ab vtroque. Pueri vtcunq; rebus voces nudas, & pote-

ſtatem percipi vt queant,adhibent,conſecutioniſ-
queratione m tantum habent,ac flexionum.Robu
ſtiores etiam contendere , ac deliberatione quadã
fidei ad voluntatem poſſunt accedere,Senes vſu re
rum, ac prudentia facti, veritatem, vel probabilitatem à vanis, & fallacibus dijudicare paratius norunt. Quod verò in iudiciali parte omnẽ artis vim requiri, in encomijs, atq; cõſultationibus, ne incautis imponere velle videamur, parcius idẽ factitandum dixerim: diſciplinæ id, facultatiq; huic priuatim eſt tribuendum: quæ non intelligi modò: ſed cum iucunditate, ac lepore ſeſe tueri, officiumque conatur. Quidam pugioni Dialecticã, haſtæ Rhetoricam, explicatæ, adductæq; alij manui compararunt: Senſus tamen eſt, Oratores magis ſplendorem, dum ſeſe dilatant, quàm fortitudinem, quæ breui ſermone citius apparet, opportunè adhibere: ideoq; mallẽ vt hypotheſin à Theſi, vt Academicorum ſplendidiores ſermones à Stoicorũ ſubtilitate; ita quodãmodo Logicam à Rhetorica diduceremus.

Quæ parteis Oratoris?

VT omnia verbis, & rebus conſtant, eaq; ordine, collocateq; placent: ita Orator ad oblatam ſibi materiam inueniendi, exponendiq; debet artẽ ordinatam poſsidere: quod ſi etiam publicè ſua velit exaudiri, memoria cum actione non parum commendabit profeſsionem. Singulares cauſæ plerunque

que ſolent eſſe quadripartitæ. Veſtibulo facilē nobis, cupidamq; audiendi, dum quid, quóue modo, cúrue ſimus dicturi ſignificamus, adiungimus concionem. Narratione rem verè, ſimiliterq; vero, planè, citra multas ambages, confirmationi ſeminaria iniịciendo, cognoſcēdam prodimus. Tū ſi quid ſuſpitionis, vel dubij apud Iudicum animos exortum videmus, diluimus, noſtraq; cōfirmàmus. In extremo breuiter argumenta, & quod initio tantopere ſumus polliciti, etiam affectè, perſonarūq; quadam effictione, ſi vſus poſcit, cōprehēdimus. Motibus enim ferè peroratio ab exordijs ſeparatur. Neq; tamen has partes omnibus in negocijs, locíſue, nec perpetua ſerie cuſtodimus. Quippe ſi Orthographiæ minutijs cōſuetudo nō cedit, quāto magis rebus, ac neceſsitati, vt actionem integrā, expeditamq; è foro domum aſportemus, prouidēdum, ac inſeruiendum erit. Neq; his ipſis partibus iam annotatis natura duce nō vulgus vti cogitur: ſed artifex vt opus fuerit, & cum vult, ſemper ad manus artificium habet, nihil temerè, vel à diſciplina remotum, vt inertes ſolent, committit. In conſtanti, igitur, preceptionum vſurpatione, firma eſt oblectatio, eoq; ob ſimilitudinem nobis ingeneratam, anticipatamq; hæc in ſui amorem non ſtupidos, & à pulchro auerſos impellit: quòd homo eloquendi virtute nō à feris tantū, ſed rudi, & ignara etiam huius ſubſidij plebe differat: Scilicet animo preſtantes, honeſtiq; cupidi, non exili oratio-

nis,

nis, ſimpliciue genere cõtenti, ornatu, ac nitore, dignitateq́; vehementer ducuntur, voluptate ſe aperiunt, non Epicuræa illa externorum ſenſuum titillatione, ſed Euxodi, quæ moleſtias abſtergit, grauesq́; euentus commoderatur.

GENVS IGITVR FORENSE *putas cæteris præferendum?*

SANE quidem, in eoq́; conſilio vniuerſæ facultatis expendi, ſpectaríue ſolent opes. Res quidem non fictæ à prudentibus haud difficile cernuntur: ſed tamen vt facilius, conſtanterq́; idem ab eiſdem impetremus, elegantia quędam expolitioneq́; ambimus: ne Dialectorum more, ſimul omnia profundamus, cogamusq́; argumẽta, ſed variè, ne obruant aceruo ſuo, firmamẽta ſpargimus, pluribuſque locis, & verbis ſæpè idem, ſine tædio, vt omnis eximatur dubitatio, repetimus, & quendã auditoribus dulcem ſenſum afferimus. Controuerſiarum, igitur, tria occurrunt tempora: quando ſignis, vel coniecturis probabilibus ad docendũ factum, & conuincendum reum nitimur. Aut cũ de facto ſatis conſtat, nomẽ ei proprium, definitũq́;, plurimum tredecim capitibus, vt pro Cecinna, inque paradoxis notum eſt, conſtituimus. Vel ius, aut iniuriam cum facto coniunctam demonſtramus. Hinc quæſtionum, ſiue ſtatuum tres illi modi, caſusq́; extitere, ſuis locis, & methodo concluſi. Præcipuè verò de qualitate, ſeu iure cum quæritur,

tur, opera danda, vt attentè audiamur, viriq; boni censeamur, nec malè omnes dicēdi neruos hîc insumimus. Atq; Iuridicialis constitutio bifariā accidit. Etenim vel ipsum factum ius suum, probitatéq; statim edit, nec alienis adminiculis se iudicibus ingerit: quia natura, leges, vsus, æquitas, vel quia bonitas, necessitasq; induxerit, vel pacta, cōuentaq;, & exempla non prohibuerint. Altero modo facinoris ius non absolutè, suisq; viribus defenditur, sed ope exterius assumpta, & velut obducta. Vt cùm de expresso iure concedimus, sed opposito non minore permissionem compensamus, idq; remotione, aut trāslatione criminis, vel quod inuitis, imprudētibúsue accidisse quid cōfitemur, simulq; purgamus, vel deniq; supplices facti, noxiam commiseratione deprecamur. Atq; hęc prior est, Colimanne, artis pars, quæ rerum, inuētionis, collocationisq; partes complectitur. Altera elocutionis est, quæ gratiam, moramq; iocundam inuenire potest, eam, quam pauci sunt consecuti, multi aggressi. Difficilior est enim exercitatione, disciplina hodiè turbatior, neglecta meditatione, rarior exemplis, non tamen studiosis vel in hac perorationum obscuritate prorsus negata. Tribus, vt gustum huius quoque cogitationis, ac desiderium quoddam tibi importem, formis principibus, seu stilis, seu characteribus omnis vis eloquēdi distincta elucet. Inertis enim est, aut vani sine pondere, rerumq; necessitate verba grauia, nitida, copiāq; proij-

proijcere: ieiunij contrà, & angusti animi, sibique diffidentis rem non pro dignitate extollere. Nam secus in testimonio laudis, quàm quæ consultationi subijciuntur, pugnaq; & lite obtinenda verba fiunt, nec ruricolam, quo ciuē, hunc quo regem vestitu exhibeas, minus eodem modo partes dictionis exponuntur: nec qui docet artem, philosophicè assurgit, sententiasq; dicit, totq; ἐφοδίοις, et ἐπισοδίοις, vel προοδοποιήσεσιν, alijsq; vtitur compendijs: nec qui vincere contentione, ac persuadere copia suaui laborat, leuem scholarum stilū, sed grandem, instructum neruis, amplū fide, opinione admirabilem assumit. Siquidem non furem vt latronem, non adulterum, vt expugnatorem pudicitię, non sacrilegum vt hostem religionis adducit, sed hæc diuidit, & incremento auget. Non frustra ergò primum genus, tenue, subtile, absq; fuco, & ornatu quotidianum humilibus conuenire sophistę tradidere, quòd Myrthum Veneri, vitem Iaccho, populum Alcidæ non auferat. Secundum mediocre interiectum, non nihil comptum, moribus, ac disputationibus promptum, vbi & Stoæ, & Platani suum habent locum, & Lycæum, etsi Cicero dubiorū elegantiores quàm Stoæ scholas memoriæ prodiderit Tertium est amplum, sublime, omnī varietate figuratum, numerisq; instructum: in quo summorum etiam virorum conatus, & facultates obseruari solent, quod graue illud nomē Oratoris deposcit, in quo non æquè, pariq; gloria vel

illi

illi maximi excelluisse dicuntur: ob idq; vel ipsum Demosthenem Cicerone vehementiorem aiunt, quia densus, grauis, robore, & sententijs coactus, non ita rationibus solutus, & inflatus verbis appa ret: ingenium & copiam vt Tullio, iudicium, fidemq; Attico malis haud immerenti tribuere: grauitatem verò artificio tecto vel aperto, sententijs, & verbis accipi hic volo. Ad hanc partem Ideæ septē Hermogenis, octenis suis partibus descriptæ, methodoq; pertinent, quomodo etiã Theophrasti περὶ λέξεως, vt Halycarnasseus memoriæ prodidit liber, tertius Aristot. nec secus de figuris, schematibusq; doctrina, cõstructionis, seu coniũctionis, metrorũ, rhythmorumq; traditio: de quibus & ipsis in meis rhetoricis plenius quædam tractaui, &, ni fallor, confusam recentium de figuris expositionem perspicuis exemplis notasse meritò videor. Breuiter triplex est natura, ordoq; figurarũ, quibus nitescit, & velut efflorescit oratio. Horum qui primus est, simpliciter dictionem solitariam, interim & copulatam immutat: in quo metaphoram maximè necessariam tibi commendo, ne longè, sed ab vsitatis, & familiaribus exemplo Socratis, vt eam petas. Alter est ordo, qui orationem modificat æquè hominum affectibus vim, varietatẽque suscipit. Tertio genere corpus ipsius causæ, atque sententiæ cumulatè exornantur, fereq; ex argumentorum sedibus promuntur, vimq; comprobationis quãdam porrigunt. De numeris, & rhythmis

mis ordine, & incrementis, comprehensionumq́; & eius partium doctrina, alibi dicetur: neq; ista ætas à necessarijs magis illorũ subtilitate videtur reuocanda: & vbi progressus laborum, stilusq́; tulerint, quiddam ex meis etiam de imitatione dudũ vulgatis dialogis præceptor non inutiliter, vt spero, tuus accersere poterit. Quã breuissimè, igitur, Rhetoricam censeto esse animal, cuius vitam, animumq́; comparare statibus soleo, tanquam causarum capitibus, ac summis quęstionum. Corpus non dissimilem rationem ad inuentionem habet, roburq́; externum quod ambit, spiritumq́; continet. Imago ideas imitatur formasq́; dicendi, quibus decens cõformatio totius extat, naturæq́; proprietas in oculos incurrit. Hæc subitò exarata nũc sufficiãt, vt agnoscas potius, quàm discas: tu de studio nisi fallere tuos velis, & contentione, nihil remittes.

DE DIALECTICA.

QVI rem probè intelligit, paruo labore etiam diuidit: cuius opus iudicium requirit haud vulgare, quòd ad diuisionem definitio facilè consequatur. Percipiunt quidem & pueri quod eis diligenter proponitur, & cum metu tenerorũ animis inseritur, sed non sapiens, minus prudens est ea doctrina hausta cognitio: non tamen imbecilliores à Dialectica, vt moribus, arceri velim: siquidẽ præteritorum firma recordatione subsidium ad intelli

gentiam

gentiam rerum sibi comparant. Sed expeditã esse methodum, nõ inculcatã tot ambagibus, & prolixam regulis optarim, dum anni, vsusq; iudicium confirmarint. Scopus artis differendi vel Logicæ est à falso verum, multiplici solum separare quod etiam definire est, ideoq; in officijs Tullius τῶ ὁρισμῶ διαίρεσιν videtur complexus. Vt autem Oratori, sic critico materia aliunde obuenit, tractãdi artificio præceptiones, vt qui suta facit acus, forfex, filumq; inseruiunt. Differt à Rhetorica sola tractatione, præsertim argumentorũ, hoc est, arctiore quadam partium confectione, vt logicen confer tis, compactisq; manibus, illam abductis, vel prelijs eminus tentatis possis conferre. Nec disputationis ius quod recipit, seu materia determinatur sibi perpetua, & propria: quòd absque hac nulla scientia, siue ad summ[illegible] progressione, siue contraria, minus res controuersa exponi disertè, cumque alijs communicari distinctè possit, non tamen quod de arenæ quantitate quidam putabant, artẽ finitam, quibus negocia recenseãtur numeros deficere dixerim, de cuius vtilitatibus pleni sunt omnium Commentarij. Tu quod in rhetoricis paulò ante breuiter accepisti, idẽ nunc de dialecticis breuius, dum singula rectius condiscas, generatimque accipe. Tres huius scientiæ partes sunt. Definitio cum diuisione, & axiomatibus, sedes rationũ, ratiocinandiq; modi, seu axiomata certis quãto, & quali modis concludẽdi. Quibus omnibus, & sin-

gulis nisi rei explicatam naturā, nihil requirimus. Voces nempè dubias, vel sententias quibus negas, vel ais aliquid, cum discernis, aut circumsistentibus dijudicas, ad ὁρισμὸν, & syllogismos viam paras. Atque priora illa duo instrumenta simplices pertractant voces, pronunciatorumque robora, cuiusmodicunque fuerint, tertia demum consecutiones, certāque partes colligendi occasionē præbet, vt quid vrgeas, summatim comprehendatur: hanc etiā artis mediam quidam vocāt partem. Singularum vocum ordines, potestatisq; seriē, in tabellis, seu gradibus categoriarum depositam vides: quibus gradibus ex arte appellationes ad definiendū, diuidendumq; quinque illæ voces ampliter adhibent: vt quod vulgò animal dicas, aut hominem, Petrúmue, Artifex disertus genus, speciem, & indiuiduum vocarit. Neque differre aliter decem illa summa attributa, seu mauis dicere prædicamenta, à communitatibus iam dictis, quàm nominatione quadam existimo, dignationisq; impositione, vt quę ampla, vel contracta, certa vel patientia magis sunt terminorum artificum dignoscantur applicatione. Atque vt decem ordines definitioni, & partitionibus inseruiunt, velutq; sedes, ac promptuarium quoddam sese offerunt: ita problemata locos habent, vt Oratorum dicti status, firmiores tamen, nec pariter omnes, vnde pro ancipitis orationis conditione ad probandū apta ratione, mediaque extremorum propria elucescunt. Nam &

dia-

dialecticorum loci alij necessarij, firmique, alij minus sunt, qui nō intimè è rerū dubiarum sinu, sed exterius accersuntur, quod in iuridiciali quæstione rhetoribus quoque accidere dixi. Ceterùm vt vocum solitariorum, & constructorum, atque rerum etiam non eædem sunt copiæ, neq; naturæ vno modo perspectæ: ita plures sunt tùm definiendi, ac diuidendi, tùm rationes cogendi modi, vt vel dialecticorum acumē, & seueritas ad Oratorum libertatem interdum deduci se patiatur. Vniuersum tamen est, nuda, & angusta vt diuitibus & amplioribus explicemus, dubia robustioribus coërceamus. Quis enim, quæso, animal quid sit bipede gallina prorsus definiat? aut philosophiam totā astrorum modò significatione ab alijs partibus seiungat? aut hominem ratione præditum animal, quia aures, & os ab alijs viuis diuersum habeat, esse cōtendat? Iccirco neque disertorum loci æquè & congressus certissimi sunt, nec formæ rationum copulandarum eadem vi semper omnia cogunt: quóque propius ad speciei naturā genus, aut ratio ad propositionis sensum accedit, hoc facilior est victoria. Socrates in Gorgia non tam est tutus cui recusare quiddam nequeas, quàm in Timæo, nec Cicero in officijs tam est conglobatus, & munitus, quin plura infirmare, quam in somnio Scipionis, vel natura deorū possis: in quibus tamen dialecticorū ille subtilitates videtur persecutus. Atq; in eo vel præcipuū Artificis iudiciū extat, si è tāto loco-

301

rum numero, & commoditatibus cognata maximè, & vtilia deligat, perlustratisq; omnibus generatim, quæ singularia sunt, in vsum seuocet, arteq; subigat. Siquidem pluribus argumentis eadē quæstio tractari potest: Sed oculatus is, & cautus, qui intestinè, ac proximè rem declarat, omnemq; dubitationem amouet, suspicionem fraudis tollit. Nec minus est in laude, qui non contentus circumscripta, & priuata ratione, copulandi etiam propositiones, formamq; inferendi consequendi potentiorem consectatur. Sed demōstrationem qua ex ijs, quæ percepta sunt, ad ea quæ non percipiebantur adducimur, omnibus antefert. Nam prima concludendi norma apertius, propiúsue sua tuetur, secunda remissius, tertia non iners, nec imbecilla, sed si disputator potest, vitabit, cumq; alia commutabit: Neq; nego eandem rem hisce tribus omnibus, & singulis tractari posse constitutionibus, & pluribus, si velis: non eadem fide tamen & auctoritate: vnde analyses illæ, modorumq; vicissitudo, ac translationes excogitatæ non inutiliter fuêre. Enthymematis, & exemplis rationes vel logici non validè vniunt minus Oratores, qui partes earum latè sparsas, & plurimum transpositas afferunt, de cæteris nunc sileo: Illud non præteribo, syllogismorum naturam definitionum, diuisionūque similitudinem habere quandā: vt quid his obtinere nequeas, illis negare sæpè non liceat. Ad omnes verò insidias, dolosq; vitandos, captionū, seu

ſeu cautionum doctrina, quam Elenchos vocant, habetur, non vt inſidias Sophiſtarum more, ludósq; ſtruamus: ſed verũ à falſis, certum à dubijs, & obſcuris ſecludamus, quo diuortio omnis Logicæ ſumma continetur. De quibus & ipſis, & ſuperius notatis in ſcholis veſtris aliquando pleniorem audies explicationem. Tam neceſſariæ, igitur, & magnæ doctrinæ vmbrã hiſce, primaq; lineamenta rudi Minerua oſtendere, non ſeorſim partes dilucidè, velut epiſtola proferre volui, qui tot de hac ſcientia vulgatos ſciam libros, quot vix optare debeas. Ad fontes tamen Ariſtoteleos deduci te quàm primum à tuis velim: non quorundã turbatis riuulis, minutisq; præceptiunculis, qui ſine geometriæ exemplis vagantur latè, ſed domi trimeſtre arti præſcribunt tempus, omniaq; pollicentur, detineri: vt ad philoſophiæ, grauiorumq; ſtudium citius animum, & operam queas applicare, idq; vt facias cohortor. De exercitatione, qua ſine præclarum nihil neque dicendo, neque ſcribendo aſſequêre, aliâs ſatis à me dictum eſt, obiter tamen quiddam ſubijciam, ne in aliqua tibi defuiſſe parte videar. Stilo quod ars præſert abſoluitur. Sed artẽ repræſentet oportet, qui ſe artificem velit. In exemplis imago præceptionum facilè ſe prodit: ſcribendum igitur, & meditatione, peroratiunculis, commentandoque audendũ deinceps aliquid. Ciceronis te imprimis ſtudioſum, & amantem aſsiduitate oſtendas, oportet, ſi progredi cũ laude cupias:

302

pias: qui vniuersam tibi artem exemplis priuatis & publicis suppeditare potest vel in orationibus de quibus ipse fatetur nusquā se tam belle philosophatum quàm in illis. Res quidem vndecunq; libuerit sumētur, verborum, & artis te illius vestigia consectari iubeo. Sed ante, quàm maiora speres, leuibus contendere assuescas, nec si quid in tuis vel epistolis, vel alijs primis, rudibusque tentationibus reprehensum, vel abiectum fuerit, dolebis. Vernacula non malè initio vt eadem latinè flexionibus, consecutionumq; mutatis formis, inuersis, aliter, atque aliter reddas, vtêre: etsi quibusdam ea exercitatio iudicium maius videatur exigere: non tamen edenda, sed ad tempus seponenda nos tuæ ætati præscribimus, in quibus quid nocuerit nos periclitari? Hoc adminiculo facilius verborum copiam ad epistolarum confectionem tibi comparaueris. Epistolis res primum laudandas desumes, atq; arguendas, ex quibus facilè quid cōsilio quoque sit afferendum, quid suadendū docemur. Postea mixtis vterer, & ad defendendum, excusandumq; vel factum, vel silentium, legesque amicitiæ violatas venirem, leuibusque velut prælijs in foro, apud æquales vires ostentarem, paulatim congressus, disputationumque concursus mihi effingerem, apparere sine metu publicè conarer, conatusque indicia, & specimen exhibere. Quam ad partem progymnasmatum illa Aphthonij capita multum subsidij afferent, vt partes causarū informare,

mare, ante quàm in iudicium, & conciones prodeas, didiceris. Itaq; sententias de moribus, fabellas, exépla suo modo tractabis, mox exordia, narratiunculas, recusationes, extrema orationũ complectêre stilo, in eoque opere constanter occupabere: ratio enim sine labore perpetuo non multum præstabit. In Historiarum quoque exemplis iudicio versarer, & pluribus, quàm Scriptor eadem recitarem, vel calamo repeterem, interdum quid in vtramque sententiam ingenium possit, experirer: quæ diligentia rerum, & verborum copiam insignem gignit: parum enim ea ambitio à declamationibus differt. Obseruarem subinde in maioribus illud in tertio rhetor. Aristotelis, in magna causa posse quædã abscindi, in parua nihil. Illud in partitionibus de contractione, dilatationeque verborum quantam syluam stilo præbebit? quanto magis te ad hos pulueres excitabit, si in Cicerone, & alijs ea olfeceris? quantum omne tædiũ vigiliarum, & solicitudinis demet? Pulchrũ est, Colimanne, videre quid magni Oratores voluerint, quid fecerint obseruare vtile: non enim extant cuncta vbiq;, quæ addi poterant, dissimulata magis afficiunt, & laboribus pollicentur maiora. Ingeniorum quoq;, ætatum, rerumpub. genera in ipsorum spectare exemplis quantũ delectationis, & iudicij subministret, vix dici potest: nam ita Demosthenem & Lysiam Hyperidi, & Aeschini nõ postponemus, minus Ciceroni, & Terentio, Philelphũ,

& nuper natas fabulas, colloquiáue prẹponemus. Argumentorum illos receptus inuestigatos explicare, & actionibus componere, Vergilij & Homeri locorum, personarum, rerumq́; descriptiones alia methodo si tractare incipias, non vituperabo, quo modo nec ideas Hermogenis suis in orationibus locis effingere, linguarum idiomata collatione admirari. Augent etiam facultatem disputationes fusè, liberiusq́ue positæ, si articulatim, distinctéque, & vberius iterentur. Nec vererer duce aliquo exordium pro Murena cum illo de corona Demosthenis committere, inquirere an procemijs ambitus, circumductiones contentionibus magis obnoxiæ sint, inque eisdem aditibus dictionū annotare num sententiarum, & grauitatis plurimū habeant splendoris, ac festiuitatis, ne auctoritas orationi dematur, minimum. Tùm quas Cicero, Quintilianus & alij Oratorum, Poëtarum, Historicorum differentias constituunt, à commonstrare declarari mihi postularem, dum quid ipse possim sentirem: sed de his nunc satis: & quandò a cælestium memoria omnis qui suscipitur labor debet proficisci, hanc precationem quoque meam accommodatam illam hisce temporibus, ac vsibus non negliges.

PRE-

PRECATIO SAMBVCI.

EXCITERE tandem, O æterne Deus, pater Domini, ac Recuperatoris nostri Iesu Christi, aduerte aures tot lachrymis, ac solicitationibus oppressorum, tuamq; erga afflictos, delictorumq; cũ mœrore conscios miserationem grauissimis, ac varijs in Christiani orbis perturbationibus clementer aperito, precibusq; intimè annuito. Declinauimus à præceptis tuis flagitiosè, mandata tua hominum cupiditatibus, ac viribus audacter, scelerateq; postposuimus, simulanter multa, & cum publica offensione commisimus, obuijs quibusuis illecebris, metui, minis, quæ aduersum te nihil potuissent, relicta æternitate leuiter accessimus, amicorumq;, & vulgi opinionem, quasi clam te gererentur, criminosè prætulimus: non cepimus lumen dum lucerna affuit, nec emendauimus errores quando licuisset, sed distulimus omnia, nosq; temerè in sordes, ac voluptates mancipia abiecimus. Rectis igitur, iustisq; nos pœnis inuoluisti, lucem, ac verbum nullis libidinibus, ac potestati obnoxium ab ingratis remouens, dum tot contentionibus periculosè, atq; odijs illud passim disceptatur, & negligẽtissimè habetur: peste, fame, incendijs, rapinis, vastationibusq; Barbarorum irã

testatus, nos intestinè exhausisti, longeq; grauiora, dum culpæ illigamur non ferendæ, commeremur. Veruntamen cùm tua singulari prouidentia, et mansuetudine ad frugem nos, sanitatemq; redire malis, nec quicquam grauius, quàm cuius in salutem filium Iesum contulisti, vt hominum genus pereat, sustineas: demisissimè supplices ad te recurrimus, cesset demũ furor, ac ingruentiũ malorũ impetus, rerũq; vorago, et scopuli minaces, qui vel vnico verbo, vt olim, vim hostilem prohibere potes, conatusq; cædem spirantiũ, & solitudines importantiũ, sanguinemq; bibentiũ irritos facere: astus Diaboli cohibe ne impedimenta è veteri sua disciplina, quã vel filius tuus expertus est, & arte, moramq; conscientijs inijciat, ne filiũ à redẽptione, & morte nobis proximũ, semperq; præsentẽ, fallacibus tegumentis, ac nugis longinquissimè amoueat, dubia pro firmis, aliena pro tuis, zyzania pro tritico, venena pro melle persuasis obtrudat. Ecclesia, & populus tuus, quomodo Apostoli, eorumq; sectatores, spiritu tuo in officio maneat, rediuiuus per filium cœtus sartus, tectusq; sit, promissis tuis alatur incolumis, munitusque angelis vigeat propugnatoribus, æterna, & testata patefaciat, obscura discutiat, palamq; vera omnibus constituat: quippe multæ sunt foris oues, lupi intus, quibus ne offendamur aut periclitemur effice, vtq; laboremus ipsi quò frumẽtum simus, largitor: nec facile ante iudicium, separationemque filij tui, ob

leuia

leuia errata secessionem, personarumq; odium faciamus: modò in necessarijs pura sit communitas, reliqua vt notas imbecillitatis, nondũq; plenæ sanctitatis toleremus, precibúsue, ac pijs reprehẽsionibus, quod possumus, amoliamur: in verbo tuo stet iudicium, quod enarrauit satis Christus, Ecclesiæque fides, ac fundamentum angulare. Aerumnas, & acerbissimos, diuturnosque casus, quibus cuncta sanguine, luctibusque madẽt, à domicilio fidelium auerte: ne conuulsis penitus, ac euersis politijs, sedibusq; piorum congressuum, ac societatis Christianæ, de electis etiam, ac perpetuò fidis dubitatio apud imbecilliores animos existat. Idque vt celerius, atq; tutius nobis polliceamur, O Christe fili Dei, qui vltrò per carnem diuinitus susceptam nobis te patronum copiosum, ac prolixum declarasti, futurumq; porrò cõfirmasti, oramus, interpretere ac defer nostras calamitates ad patrem, qui ad tuum sensum, precẽsue suam testationem condolentiæ facilè accommodabit, nostrique culpæ oblitũ miseratio tanget. Affere nos in libertatẽ mentis, & corporis, nec vllæ minæ, apparatusq; vel Turcarũ, vel cuiusquam alterius renitentis nos à tuo latere, & patrocinio discedere cogat: reddito pium ociũ, quò te cõstantius, memoriamque beneficiorum vsurpemus, totisque animis, ac viribus in tuas laudes effundamur. Suggere mentem, & consilia Principibus qui nomen tuũ præferunt, seriò vt negocijs fidei studeãt, progressibusq;

sanctis,

ſanctis, ac beatis lætentur, occaſionem rei bene gerendæ, victoriæ, vindictæque perſequẽdæ elabi ne patiantur. Redde priſtinam Regnis faciem, ac dignitatem, præſertim Pannoniæ adeò conciſæ, depoſitæque, vel potius tot vulneribus, ac maleficijs confectæ, ne diutius Barbarorum libidinibus, & prædationi abiecta ſit, nonnihil reſpiret, ſeque, pœnis iure exactis, abs te ſeruatam non perditã, gratè ſentiat. Quod ſi te vniuerſę preces ob labes, quibus vitam communiter, vt menſtruis maculis, perinde fœdauimus, non commoueant: reſpice proborum, electorumq; gemitus, reſpice lenitatem, ac promiſſa tua, non actiones noſtras, easque ob ſanctitatem, & benignam voluntatem abs te profectas, pace cumules, totque periculis ſubleues: vt expeditiores ſalutariter, frequentiusque de te cogitemus, depulſisque poſtremò hominum figmentis, ac fucis, ſincere, aperteque tibi ſoli & viuamus, & moriamur, idque per Spiritum ſanctum, cuius in vnitate cum Patre perpetuus es, viuis, cunctaque probè adminiſtras, ac perficis in ſempiternum, Amen.

AD

AD MENSAM PRECATIVNCVLA CVM ACCEDIS.

QVidquid ab his epulis augmenti accesserit, omne
Cælesti nobis munere conueniat.
Vtq́ue famem tollunt, & languida corpora firmant,
Sic animum inuitent ad pietatis opus.
Nec saturis casu, aut studio obsint, Christe, precamur,
Donáque fac noscant pectus & vmbra simul.

CVM RECEDIS.

QVas tibi nunc grates dicam laudésque rependam,
Qui cupis immeritos tot releuare bonis?
Hæc tua conspicuæ virtutis signa quis ausit
Obtegere, aut plena non cecinisse fide?
Dicimus, & grates canimus tua iussa sequentes,
O pater, ô fili, haud flamen vtroque minor.
Tu Deus hæc vnus, tria idem vos numina certa
Cum studijs vitam, quæso, fouete meam.
Neu socij perdant, vel turpia forte iuuentus
Suadeat, offendam te vt fide & ore, Deus.

ADDE ORATIO-
NEM. D.

ASTra premis qui et sceptra tenes rerúmque hominúmq;,
Suscipe quæ de imo pectora vota fero,
Effice quò varios currat tua fama sub axes,
Mygdoniæ norint, hesperiaqúe domus.
Iam simul aduentiant nobis tua regna prophanis,
Insidijs hostis ne nocuisse queat.
Conueniat tecum patienter nostra voluntas,
Gentis vt aligeræ, quæ tua iussa colit.
Adijce quæ corpus recreant alimenta subinde,
Cunctáue queîs alitur tempore vita breui.
Sontibus ac nobis veniam largire benignè,
Aduersis duce te quòd faciamus idem.
Infera pelle procul, tentando perdere noli,
Nil valeant morsus, nil stygijque lacus.
Quin potius trepidos tantis nos eripe damnis,
Vt grati fixum sic peragamus iter.

Τέλος.